



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1783

VD18 90119304

§. 4. Sinensis Imperatoris deliberatio circa Ritus Sinenses.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

Sæc. XVIII.
A. C. 1721.

§. IV.

*Sinensis Imperatoris deliberatio circa
Ritus prohibitos.*

Vespere diei nonæ Mensis Januarii Mandarinus quidam jussu Imperatoris significabat Legato, ut altera die summo mane unacum Patre Raynaldo Maria Carmelita Excalceato, & Roveda Missionario ad alloquium veniret: Huic igitur mandato Legatus morem gerens, Palatium accessit, ubi cibus ab Imperatore submissis refectus, a Mandarinino *Chao* monebatur, ut cuncta sibi mox proponenda attenta mente ponderaret; agi enim de concludendo legationis negotio, proin ad solidas responsiones Imperatori dandas se promptum, paratumque teneret: Paulopost Legatus unacum Raynaldo & Roveda, necnon Pedrinio & Ripa Interpretibus, & quatuor Jesuitis ad alloquium admisus, ceteris in genua provolutis ipse sedere jussus est: Eodem temporis momento Imperator hæc exposuit: „Per-
„volvi Pontificis literas, in quibus non
„sine animi mei gaudio tria hæc per-
„cepi, I. gratiarum actionem pro be-
„neficiis a me religioni vestræ collatis,
„II. sollicitudinem de mea incolumitate
„III. pollicitationem pro mea prosperi-
„tate

„tate ac salute preces ad Deum fun- Sæc. XVIII.
 „dendi. Hæc multum grata accepta- A. C. 1721.
 „que acciderunt: de cetero autem ve-
 „ster Pontifex non habet exactam co-
 „gnitionem de Sinensium ritibus: de-
 „fuit enim ei copia conversandi cum
 „hominibus in veritate nostræ doctrinæ
 „versatis; egit duntaxat cum Viris
 „nonnisi leviter paucisque quibusdam
 „characteribus imbutis, his Pontifex
 „fidem habere non potuit, sicut nec
 „ego me credo Patri Fan Sinensi,
 „quamvis pauca Europæa verba calleat.
 „Præcepi quondam cuidam Patri Je-
 „suitæ, ut pro me quasdam depingeret
 „imagines, ille vero res supersticiosas
 „esse ratus, renuit: Tum quidem rem
 „dissimulavi, paucis tamen postea die-
 „bus ipsum ad comicum quemdam lu-
 „dum invitavi, quo finito interroga-
 „bam, an ea, quæ vidisset, depingere
 „auderet, eo affirmante reposui, hoc
 „est idipsum, quod paulo ante pingere
 „recusasti: ita in vestra controversia
 „etiam eadem res sub diversa confide-
 „ratione diversas induit facies, nunc
 „apparet tanquam res sacra, nunc
 „pure civilis. „ Hæc loquentem in-
 „terpellare parabat Legatus, mox ta-
 „men ab Interpretibus, ne suæ Maje-
 „statis sermonem interrumpere, admo-
 „nitus siluit, Imperator vero ita profe-
 „queba-

Sæc. XVIII. „quebatur: Ea, quæ in secreto collo-
 A. C. 1721. „quo dixi, repetere debeo, nimium,
 „quod ingens hæc lis inter Europæos
 „circa laudabiles ritus nostros exorta
 „non sit controversia de religione, sed
 „dissidium a seditiosis abjectisque ho-
 „minibus excitatum. Doctrina de Ta-
 „bulis nec a Confucio, nec ab exteris
 „traditur, talisque doctrina in libris clas-
 „sicis, sed duntaxat in quibusdam nul-
 „lius auctoritatis libellis, qui in foro
 „venales exponuntur, continetur: nec
 „Constitutio, quam vester Pontifex e-
 „didit, est interdictum ad vestram le-
 „gem pertinens, sed mera vindicta con-
 „tra Jesuitas, cujus incentores fuere
 „Maigrotus, Pedrinus & alii ejusdem
 „furfuris homines, qui ob pessimos mo-
 „res expectatione sua minus honorifice
 „ab ipsis habiti Romæ pleno alveo ef-
 „fuderunt, quicquid eis privatum odium
 „inspiraverat, non sine nostrorum ri-
 „tuum, totiusque Sinensis Nationis
 „contumelia ac dedecore. „

„Supponamus, quod quispiam mihi
 „quosdam fructus ex suo horto præ-
 „sente uno ex amicis, & alio ex ini-
 „micis suis dono daret; amicus equi-
 „dem, ut hos fructus gratos haberem,
 „inimicus vero, ut eos contemnerem,
 „persuadere conabitur, si igitur amico
 „fidem haberem, dantem remunerari,
 „&

„& inimicum punire deberem; idem
 „etiam accidit vestro Pontifici: quidam
 „Sinenses ritus eidem tanquam inno- Sæc. XVIII.
 „cuos, alii velut idololatricos, super- A. C. 1721.
 „stitiosos, & religioni Christianæ con-
 „trarios depinxerunt, & Pontifex po-
 „tius his, quam illis fidem adhibuit,
 „eosque sine perfecta cognitione pro-
 „hibuit. „

Jamjam ad hæc respondere para-
 tus erat Legatus, sed denuo ab Inter-
 pretibus præpeditus est.

Tandem vero Imperator ad Lega-
 tum conversus ita conclusit, „edictum
 „meum proxime ad Te transmit-
 „tam, in eoque mentem meam circa
 „Legationis negotium manifestabo, in-
 „terim Tu mox exposita mature pon-
 „dera, remque gratam mihi facies, si
 „unum ex tuis nulla mora Romam ab-
 „legaveris, sis vero interim tranquillo
 „animo, & de exitu minime anxius.
 His dictis Legatus cum suis abire jus-
 sus est, quin vel ullum verbum subjun-
 gere permetteretur, solus vero Pater
 Fan remansit cum Imperatore clam
 collocutus, quin unquam, quæ acta
 fuissent, comperta haberentur.